

Nicolaus Schütze Christoph Tetsch

Disputatio Iuridica De Usucapionibus Et Praescriptionibus

Rostochii: Kilius, 1641


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731846273>

Druck Freier  Zugang



Nützungen und Vorschläge

RA. jur. 1641.
Schätze - Tetsch.



61

DISPUTATIO JURIDICA

DE

USUCAPIONIBUS
ET PRÆSCRIPTIO-
NIBUS.

87

Quam

D. T. O. M. A.

Consensu Magnifici & Amplif-
simi Senatus Juridici in almâ Ro-
sarum Academia

SUB PRÆSIDIO

VIRI

Excellentiss. Ampliss. Consultiss.

Dn. NICOLAI Schützen

ICI Eximii, Cod. Prof. Ord. Præ-

ceptoris, Fautoris atq; Hospitis

sui parentis instar venerandi

Publicæ eruditorum censura ad d. 24. Decemb:

Horis Matutinis in Audit. Maj. exhibet.

CHRISTOPHORUS TETSCHIUS

Regismonte Prussus

A. & R.


ROSTOCHII,

Literis NICOLAI KILII, Academiae Typograph.

Anno M, D C. XLI.

1041





I. N. D. N. J. C.

THESIS I.



Um in omni tractatu, maximè

tamen juris, prior verborum sit habenda ratio arg l. i. pr. ff d. J. & J. l. i. pr. ff reb. Cred. l. i. §. i. ff. susp. tut. : nobis de Usucapionibus, Materia origine sanè antiquissimâ, usu frequentissimâ, doctrinâ amplissimâ disputaturis, ut à Nomine ordiamur, incumbet.

Tractatus hic absolutus. ONOMASTOLOGIA.

2. Circa quod consideranda veniunt. 1. Origo. 2. Equivocatio. 3. Equipollens Appellatio.

Quæ continet

3. Derivatur Usucapio ab usu h. e. possessione l. us. ff. v. s. l. 4. pr. l. 7. §. 1. ff. pro empr. & capiendo i. e. cum effectû acquirendo l. 71. ff. v. s. Et hinc evenit, ut non Usucapio, sed Usucapio, quasi mediante possessione seu usu gratuita rei acquisitio dicatur l. 82. §. 1. ff. leg. 1. tot. tit. ff. Morrii caus. donat.

1. Originem.

4. Præterea nomen Usucapionis & Præscriptionis de jure quidem Veteri quam plurimum variare Dd. passim tradunt. Imprimis autem Veteres Præscriptionem ab Usucapionè ita discernabant, quod hanc pro effectû & fructu Usucapionis acciperent; Nempe pro peremptoria illâ exceptione (à quâ & ipsa nomen habet: Exceptio enim Græcis est ὁδὸς ἀφ' ἧ i. e. præscriptio Rittersh. hic) per quam prior Dominus ab agendo repellitur: Et hinc præscriptionis voce ut plurimum pro exceptione usi sunt, ut in l. pen. & ult. C. Except. l. 11. ff. eod. junct. Rubr. ff. & C. d. Except. Schneidew. ad h. t. n. 7. Omnes tamen differentias à Justiniano sublatas, Præscriptionemq; Usucapioni exæquatam esse constat ex l. un. C. Usucap. transf. l. fin. C. præscript. long. temp.

2. Equivocationem.

5. Cæterum alijs quoq; nominibus in jure nostro Usucapio nuncupatur, dum alias Usus d. l. 82. §. 1. ff. leg. 1. l. 23. ff. ex quib. A 2. caus.

caus. Maj 25. Item Capiō & Capiō per longum tempus l. 48. §. 1. ff. acq. rer. dom. Item Possessio l. 19. & 30. ff. ex quib. caus. maj. Et Suffragium temporis, l. 24. donat. inter vir. dicitur. Et ejus generis multæ aliæ significationes in Jure occurrunt: Verum enim verò, cum omnes non tropicè solum, sed obscurè rem hanc repræsentent; nos nomen Usucapionis tanquam Materiæ huic maximè ac-

PRAGMA-

TOLOGIA.

In qua Usucapio consideratur.

1. Generaliter.

part. Absolutè tam

à Priori

per

3. Definitionum

tum Positionem

commodum retinemus.
6. Expedità hac ratione Vocis interpretatione, in ipsius Reï cognitionem progredimur, in quâ prætermittà Existentiæ ipsius, tanquam lippis & tonforibus satis notæ, Verificatione, Essentiam ejus scrutabimur Consideratione partim Generali, partim Speciali.

7. Generalis expendet Usucapionis Naturam communem, quatenus hæc spectatur tum Absolutè, cum Relatè.

8. Absolutè tam à Priori per Definitionum & Causarum, determinationem; quam à Posteriori per Affectionum & Effectorum assignationem.

9. Definitur in l. 3 ff. h. t. Ubi Modestinus inquit; Usucapio est adjectio domini per continuationem possessionis temporis lege definiti.

10. Perinde autem erit, sive cum Modestino leges Adjectio, sive cum Ulpiano tit. 20 §. 7. Adeptio. Eodem enim res recidet, quia uterque id saltem agit, ut effectum Usucapionis, nimirum acquisitionem domini, designet.

11. Wesenbecius autem ad rubr. Inst. d. Usucap. Definitionem, quæ paulò tamè à nobis mutata est, talem proponit: Usucapio est acquirendi domini Modus Civilis Singularis, ex alienatarum rerum possessione per tempus lege definitum continuatà, jure Civili, ne semper incerta sint rerum dominia, introductus.

cum Resolutio-
nem.

12. In hac Definitione duo consideranda erunt: 1. Conceptus quidditativus Communis, Genus scilicet, 2. Proprius, videlicet Differentia,

13. Genus

13. *Genus* h. l. *triplex* indigitatur; *Remotum*, *Propinquum* & *Proximum Genus*. *Remotum* est Modus acquirendi dominii, veri sc. pleni & absoluti. l. 10. §. 2. & ult. ff. acq. rer. dom. l. 3. ff. h. t. l. 10. C. pact. Quo convenit cum reliquis Modis acquirendi juris gentium. *Propinquum* est Modus acquirendi dominii Civilis: Et hoc ipso convenit cum reliquis Modis Civilibus Universalibus §. ult. Inst. per quas pers. cuiq. acq. *Proximum* est Modus acquirendi dominii Civilis Singularis; quod commune ipsi est cum reliquis Modis, Donationibus sc. & alijs, de quibus ut specie differentibus in quid prædicatur.

14. *Differentia* desumitur à *Causis* cum internis, tum externis, quas omnes sequenti tractatione perlustrabimus.

15. Absolutà sic *Definitione* ad *Causas* accedimus: quæ sunt 2. *Causas*. partim *Essendi seu Internæ*, ut *Materia* & *Forma*; partim *Existendi f. Externæ*, ut *Efficiens* & *Finis*.

16. Ut ut autem *Causas Internas* solum res naturales (ut Philosophi statuunt) agnoscant; per analogiam tamen ut alijs rebus *Inter- nas*. ita & *Usucapionibus* easdem competere posse non dubitamus.

17. Idcirco *Materiam Usucapionis* consideramus vel *Subjectivè*, vel *Objectivè*. (a) *Materiam*.

18. *Subjectivam* *Usucapionis Materiam* constituimus *Solum Hominem*. (æ) *Subjectivam*.

19. Notanter diximus *Solum hominem* non *Omnem*: Ut nimirum particulâ illa exclusivâ *solum* remove à *Subjecto Usucapionis* queamus 1. *Servos*, qui cum ipsi possideantur, nihil suum habere possunt. §. 3. per quas pers. §. 1. d. hñ qui sunt sui vel al. l. 79. ff. acq. hered. Nisi (1.) Ex personâ Domini possederint l. 49. ff. acq. poss. (2.) Rem peculiariter tenuerint. l. 1. §. 5. d. 2. 2. *Furiosos*, qui nec curatoribus auctorib. usucapere possunt. arg. l. 5. ff. R. J. l. 1. §. 3. ff. acq. poss. Illam autem rem, quam ante furorrem nanciscuntur, rectè usucapiunt. arg. §. 1. J. quib. non est permis. fac. test. l. 4. §. 3. h. t. Reliqui ergo qui possidere possunt, *Usucapere* non prohibentur: Quales sunt non saltem *Patresfam.*

A 3

Sed

sed etiam *Filifam*, præsertim quoad *Peculia Castrensis* l. 4. §. 1. ff. b. t. & quasi *Castrensis* arg. l. 14. C. *Advoc. divers. jud.* Item *Papilli* tam cum, quam absq; tutorum auctoritate l. 4. §. 2. ff. b. t. Et *Infantes* l. 32. §. 2. ff. acq. pos.

(B) *Objektivam.*

20. *Objectivam* autem *Res Singulas*, maximè tamen *Corporales*.

21. Dicitur I. *Res*: puta 1. *Alienas* seu non Domini *pr. b. t.* l. 48. §. 1. ff. acq. *rer. Dom.* 2. *Præscriptibiles*; quia quasdam *res* *Ufucapere* *leges* prohibent aut ob ipsarum *Naturam*, aut ob *Domini favorem*. De quibus infra.

22. II. *Singulas*: Ad excludendas nimirum *Res* per *Universitatem*, quæ per *Ufucapionem* non acquiruntur. §. *fin. per quas pers. cuiq; acq.* Non obstante l. 1 ff. *pro hered.*

23. III. *Maximè Corporales*; l. 9. ff. b. t. tam *Mobiles* quam *Immobiles* l. *unic. C. Ufuc. transf.* Mero siquidem jure *Res Incorporales*, quoniam non tangi possunt, §. 2. *reb. corp.* neq; tradi, neq; possideri l. 32. §. 1. ff. *servit.* neq; *Ufucapi* poterunt. l. 43. §. 1. ff. acq. *rer. dom.*

(b) *Formã.*

24. *Materiam* excipit *Forma*, quæ est *Possessio per tempus lege definitum continuata*.

25. Certi quippe juris est, sine *Possessione* *Ufucapionem* contingere non posse l. 25. ff. b. t. s. 3. R. J. 6. juxta tritum illud: *Tantum præscriptum, quantum possessum*. Oportet autem ut sciat possessor se proprio suo nomine rem tenere; nam ut ignorantibus *usuecipiamus* in peculiaribus tantum *reb. receptum* est l. 47. ff. b. t. uti videre est in l. 8. ff. b. t. l. 2. §. 11. ff. *pro empt.*

26. Insuper, cum nemo ambigat *Possessionem* esse *Duplicem Naturalem* sc. & *Civilem* l. 10. C. acq. pos.; non abs re fecerimus, si investigaverimus, quænam illarum ad *Ufucapionem* requiratur? Quoniam verò explorati juris est, *solum Naturalem possessionem*, qualem quidem *Usufructuarij*, *Vasalli* & *Emphyteutarum*, in re *fructuaria*, *feudali* & *emphyteutica* l. 12. ff. acq. pos. l. 15. §. 1. ff. *qui satisd. cog.* *Creditores* in *pignore* l. 13. §. 1. ff. *publ. in rem.* habent, ad *ufucapiendum* in idoneam esse l. 10. §. *fin. ff. acq. rer. dom.* l. 7. §.

l. 7. §. 11. ff. *Comm. divid.*; Necessariò sequitur aut *Civilem tax-*
tum l. 1. §. 14. ff. *acq. pos.* aut *Civilem & Naturalem simul* l. 10.
C. *acq. pos.* l. 2. ff. *pro hered.* requiri: Quamvis magis juridicè in-
ter opinione Domini possidere vel non hic distinguatur & inde
hoc in passu qualitas possidendi rectius dijudicetur l. 22. §. 1. ff. *d.*
noxal. act. l. 13. §. 1. ff. *de Public. in rem act.*

27. Cæterum accedat oportet *Possessionis continuatio per*
tempus lege definitum l. 3. ff. *h. t. in fin.* §. 7. *h. t.* Et saltem
Civilis, ubi computatio fit de die in diem, non ad momenta l. 6.
ff. *h. t.* l. 15. ff. *divers. temp. præscript.* Sed dicis, Temporis non est
habenda ratio. *arg. l. 44. §. 1. Obl. & act.* l. 29. ff. *R. J.* Resp. quod
verum hoc fit de tempore absolutè considerato, non autem tali,
ubi actus alius, puta possessio vel usus concurrit.

28. Tandem de reliquis Essentialibus Usucapionum re-
quisitis h. l. non sumus solliciti; sed reservamus eadem speciali
considerationi. Hoc enim certum est, non omnia omnib. Usu-
capiationis speciebus requisita, quæ quidem Dd. proponunt, compe-
tere.

29. *Causas Internas* sequuntur *Externa*; *Efficiens* nimi- (2.) *Exter-*
rum & *Finis*: *Efficiens* est vel *Principalis* vel *Minus principalis*. *nas.*

30. *Causa Efficiens Principalis* est *Alienatio*. *Alienatione* (a) *Effici-*
sanè opus est, si dominium transferri debet l. 1. C. *fund. dot.* Nec (a) *Prin-*
enim id quod nostrum est sine facto nostro ad alium transferri (a) *Prin-*
potest. l. 11. ff. *R. J.* Et Usucapionem ex ejusmodi alienatione (a) *Prin-*
resultare constat ex l. 28. ff. *U. S. l. 82. ff. R. J.* *cipalem.*

31. *Minus principalis* si formam ejusdem respexerimus, est
Jus Civile in specie dictum, quod juri gentium h. l. opponitur.
S. ult. Usu & Habit. ut patet ex *tit. 7. ff. & C.* si verò in ipsas nata- (b) *Minus*
les ejusdem accuratius inquisiverimus, non Græcos solam, sed *principalē.*
Hebræos *Levit. 25. v. 29. & seqq. Deut. 15. v. 12. & seqq.* eadem jam
usos fuisse deprehendemus.

32. Restat *Finis*. *Finis* est vel *Publicus*, *Dominiorum scil.* (b) *Finis.*
Certitudo l. 1. ff. *h. t.* vel *Privatus*, *Litium nimirum*, quas alias
infinitas experiretur possessor, *Finis* l. *fn. ff. pro suo*. At, inquis,
finis

finis hic non consentit cum æquitate naturali, quæ neminem cum alterius damno locupletari vult *l. 206 ff. R. J. Resp. ex l. 203. ff. R. J.* Sibi namq; imputet, quod adeò negligens fuerit rerum suarum administrator, cum sciret Jus Civile vigilantibus scriptum esse *l. 14. ff. que in fraud. cred.*

quam
à Posteriori
per
I. Affectio-
nes
tum
Secunda-
riam.

33. Absolvimus hucusq; *Considerationem Absolutam à Priori*; perpendenda eadem nunc erit à *Posteriori*, ratione videlicet *Affectio-
& Effectorum.*

34. *Affectiones* potissimum sunt tres; quarum una *Secundaria*, duæ *Primariæ.*

35. *Secundaria* est *Accessio*, qua actus possessionis nondum continuatæ à possessore legitimè in successorem conjicitur *§. 7. h. t.* Sed de *Accessionibus* cum nihil in perpetuum neq; generaliter definiiri possit, consistunt enim in solâ æquitate, *l. 14. ff. divers. temp. prescript.* non miremur, cur possessio auctoris aliter successori generali (cui, licet in bonâ aut malâ fide fuerit, bona fides defuncti prodest *l. 2. §. 19. ff. pro Empt. & mala obest l. 3. C. comm. Usuc.* Ex regula *l. 62. ff. R. J.*) aliter *Speciali* (qui non usucapit si ipse in malâ fide fuerit, etiamsi bonam auctoris fidem alleget *l. 2. §. 17. ff. pro empt.* Et contra, mala fides auctoris ipsi impedimento non est, si ex sua personâ Usucapionem inchoaverit. *l. 13 §. 1. ff. acq. pos. l. 5. ff. divers. temp. presc.* Nisi in casu *Auth. Malæ fidei. C. long. temp. presc.*) accedat.

36. *Primariæ* sunt I. *Utilitas*, quæ ex fine Usucapionis *th. 32. & Effectis infra th. 38.* satis patet.

37. II. *Æquitas*, quæ petenda est ex Jure Civili, quod æquitatem juris naturalis supplet, nec enim hoc etiam casu in totum ab illo recedit, nec in totum illi servit: *l. 6. ff. I. & I.* Nam dum illud privatas tantum utilitates attendit *l. 206. ff. R. I.* hoc publicas & privatas conjungit *l. 1. ff. h. t.* Et hæc Civilis æquitas tantum operatur, ut, qui secundum Juris Civilis præcepta usuceperit, in foro etiam Conscientiæ exceptione hac se munire & defendere queat. *l. 11. ff. acquir. pos. l. 4. C. ad l. Jul. d. adult.*

38. Deniq;

38. Deniq; *Effecta Usucapionis* potiora hæc sunt. 1. *Dominij Pleni acquisitio* l. 3. ff. h. r. l. 20. C. pact. 2. *Litis finita Exceptio contestationem impediens*. Wesenb. π. ff. ad h. t. n. 14.

39. Plenariè sic *Absolutâ Consideratione* ad finem perductâ ratio methodi postulat, ut *Relata* videatur; Hanc vero ratione *Disconvenientia* solum brevibus hoc loco præponemus; ratione enim *Convenientia* nullo negotio nobis explicabit *ib.* 13.

40. Et cum in omnire, maximè tamen in jure *l. fin. ff. legib. ne* quidquam adeo stabile & firmum reperiatur, ut non aliquando interitui sit obnoxium; ita id ipsum quoq; in *Usucapione* contingit quæ non uno sanè labefactatur & intervertitur sæpe modo, sed quam plurimis; E quorum censu habetur.

41. I. *Communio Bonorum*: Hæc si in Remp. introducatur statim Finis Usucapionis cessabit, nullusq; ei locus remanebit.

42. II. *Interruptio*, dicta *Usurpatio* l. 2. & rubr. ff. h. t. quæ omnem tollit præscriptionem l. 1. C. annal except. c. 8. d. præscript. Et hæc est partim *Naturalis*, quam interdum *Natura*, si nimirum possessum mari aut flumine occupatum fuerit; l. 3. §. 17. l. 30. §. 3. ff. Acq. poss. interdum *Factum hominis*, ut, si quis vel sponte possessionem dimittit l. 30. §. 4. ff. acq. poss. tot. t. ff. pro devel. vel rem mobilem amittit, ab immobilive videjicitur l. 4. §. 22. l. 5. l. 15. ff. h. t. vel ab hostib. captus detinetur l. 23. §. 1. ff. acq. pos. causatur: partim *Civilis*, quæ fictione quadam per actum civilem, puta Citationem judicialem, aut si ea haberi nequeat, extrajudicialem testato factam, accidit. l. 2. C. anna except. Wesenb. π. ff. ad h. t. n. 15.

43. III. *Cessatio*: Quæ ab Usurpatione taliter differt; quod in illa prius inchoata Usucapio non sit nullius momenti, sed sublato impedimento, impuberi sc. ætate, aut simili causâ agendi facultatem impediente, continuetur, & tempus prius cum sequente jungatur: in hac autem inchoata prius Usucapio prorsus ad nihilum redigatur, & iterum de novo sit ordiendâ præscriptio, prioræ nihil commodante. Vid. Wesenb. d. n. 15. §. 14.

B

44. IV. In

part.
Relatè.
resp.

Pugnan-
tium.

44. *IV. In integrum Restitutio.* l. un. C. si advers. Usuc. Quo Rescissoriam quoq; actionem refero §. 5. d. Action. l. 1. Ex quib. caus. maj. An autem illi, qui jus persequendi, quod ad rem habebat, ignoravit, ex causâ ignorantia restitutione in integrum contra Usucapionem temporis certi succurratur, hoc loco quaeritur: Et affirmativam cum Wesenb. d. n. 14. tenere placet.

45. *V. Contraria lex seu Statutum* l. 35 ff. R. I. Non item Pactum: siquidem pactum quod contra leges est, nullius momenti censetur l. 7. §. 7. ff. l. 6. C. pactis Nec privatorum conventiones juri publico quicquam derogant. l. 45. §. 1. de reg. jur.

II Specia-
liter.
per
Divisio-
nem
in
Usucapio-
nem

46. De reliquo, perfectus Usucapionis tractatus non erit, nisi Species ejus omnes enumeratæ fuerint arg. l. 2. ff. orig. jur. Idcirco paucis, quantum quidem fieri poterit, (ut enim multa adferamus præscriptis disputationib. juridicis modus impedit) Considerationem Specialem, quæ circa Divisionem occupatur, proponemus.

Usucapio-
nem

47. Rejctis itaq; reliquis Usucapionis Distinctionib. potius, quam Divisionib. illam, quæ Logicis Generis in species dicitur arripimus.

Temporis
1. Certi
pars.

48. Usucapio ergo alia est Temporis Certi seu Definiti; alia Incerti seu Indefiniti. Illa iterum est vel Brevioris, vel Longioris. Vult. l. R. l. 1. c. 71.

Brevioris.

49. Usucapio Temporis Brevioris est, qua rerum mobilium dominium, ex possessione justâ per triennij decursum nobis adjicitur; pr. J. h. s. l. un. C. Usuc. transf.

50. Dicitur l. Rerum Mobilium; Subintellige ad Usucapiendum habilium. Nam supra jam dictum est quasdam res ad Usucapiendum inhabiles esse vel ob Naturam suam vel Domini favorem.

51. Ob Naturam non usucapiuntur Res commercio hominum exemptæ, quarum Usucapio nec ullo tempore procedit. §. 1. h. s. Ejusmodi autem sunt 1. Res Divini juris. d. §. 1. 2. Liber homo d. §. 1. §. fin. Empt. §. 1. Inut. stipul. Quib. addi etiam possunt Publica & Universitatis l. 9. ff. h. s.

52. Favor

2. *Favor autem Domini poterit considerari aut Solus aut
 Conjunctim* una cum delicto alterius ex quo ipsi rei inductum est
 vitium. *Suib. diff. 6 n. 15. Ille Usucapionem 1. Rerum fiscalium,*
 quo referenda non erunt Bona vacantia fisco nondum nuntiata.
§. 6. b. t. l. 18. l. 24. infm. l. 45. ff. b. t. l. 4. C. presc. 30. vel 40. ann.
 Nec Arcæ communis civitatum aut quarumcunq; societatu, quip-
 pe cum nomine fisci non veniat. *l. 1. §. 1. ff. quod cujus. Univers. nec*
privilegijs illius gaudebit l. 10. ff. ad Municip. 2. Pupillorum
l. 3. C. d. l. 10. ff. quemam. serv. 3. Minorum puberum. l. ult.
C. in quib. caus. in integ. rest. 4. Dotarium l. 16. ff. fund. dot. s. Te-
stamento alienari prohibitarum l. fin. §. 4. C. Commu. leg. l. 2. C. Usuc.
proempt. 6. Militu in expeditionibus occupatoru l. fin. C. restit. mi-
lit. Hic 1. Reru presidi provincia contra L. jul. repetund data-
rum l. 8. ff. ad l. jul. repet. 2. Rerum furtivarum, (Mobiliu nimiru,
 quarum tantum furtum committitur *§. 1. Obl. que ex del. nase)*
3. Vi possessorum, (Immobiliu scilicet §. 22. & seq. ff. b. t.) l. 33. §. 2.
ff. b. t. (§. 2. b. t. l. 4. §. 6. & 22. l. 33. pr. ff. b. t. non permittit. Ethoe
 adeo verum est, ut etiamsi bona easdem fide per longum tempus,
 nedum per triennium possederimus, Usucapio tamen non proce-
 dat *d. §. 2. b. t. propter regulam l. 24. ff. b. t. in causa autem est earum*
 adjacens vitium *§. 5. b. t. quod ad quemvis etiam successorem,*
 transit. *l. 11. C. acq. poss. sed purgatur id ipsum (1.) In domini po-*
testatem reversione d. §. 5 b. t. (2.) Longissimi temporis prescriptio-
ne. §. 2. b. t. Nov. 19. c. 7. infm. qua & ipsum furem Usucapere posse
 arbitramur *l. 4. C. presc. 30. vel 40. ann. l. 1. §. 1. C. annal. except. l. ult. §.*
ult. C. Unde vi. Ceterum oportune quaeritur hic Num partus an-
cille aut pecudis furtiva usucapiatur? Aff. si nimirum apud
 bonæ fidei possessorem & conceptus & editus fuerit *l. 3. C. Usuc.*
proempt. l. 10. §. 2. l. 33. ff. b. t. l. 43. §. 5. ff. furt. Non obstante. l. 1.
§. 1. ff. Ventr. inspic. Aliud autem obtinet in m. f. possessoris he-
 rede, qui, etsi bonâ fide rem possederit, minime tamen usucapiet;
 nam eadem est heredis quæ defuncti possessio *l. 4. §. 15 ff. b. t. l. 2.*
§. 19. pro empt. l. 11. §. 2. ff. public. in rem. Idemq; dicendum est si
 Dominus à servo in pretium concessæ libertatis ancillam furtivam,
 bona etiamsi fide, acceperit. *d. l. 4. §. 16. d. l. 2. §. 14. Vid. Ged. ad*
l. 26. ff. V. S.

53. *II. Ex possessione justâ; tam ratione Tituli, quam Bona fidei.*

54. *Titulus seu Causa ad translationem dominij per se habilis necessario requiritur. pr. h. t. l. 1. & seqq. ff. publ. in rem l. 27. ff. h. t. Hujus genera recensentur in l. 3. §. 21 ff. acq. poss. Dd. eundem dispescunt in Generalē, qui Pro Svo dicitur; & Specialem, qui certū quoddā nomen habet: Ut Emptio, & Hereditas &c. Ubi quæstio occurrit An suus etiā heres pro herede usucapere possit? A. l. 2. §. 2 ff. pro hered. §. 2. d. hæred. qual. & dif. Nihil autem intererit, utrum Titulus ille fuerit Onerosus an Lucrativus l. 11. C. præser. long. temp. Verus itidem, an Putativus, errore quodam interveniente: Modo Error iste sit vel justus, in facto etiā proprio l. 46. ff. h. t. l. 3. ff. pro suo vel justissimus in facto alieno l. fin. ff. pro suo l. 11. ff. pro empt. l. 42. ff. R. I. dum tamen in utroq; persuasio alterius cujusdam concurrat, alias enim injustus erit: injustus autem tam ratione facti proprii l. 7. ff. ad. Sc. Vellei. §. 6. h. t. quam juris l. 31. ff. h. t. Usucapionem impedit Vid. Schneidew. ad h. t. n. 22. & seqq.*

55. *Justum Titulum comitetur oportet Bona Fides, quæ illoefa conscientia possessorem de rei alienæ ignorantia excusans dicitur. Hæc Jure Civili in primordio saltem Usucapionis l. 48. §. 1. ff. acq. rer. §. 7. h. t. l. 44. §. 2. ff. h. t. (Aliud tamen receptum est 1. in Emptione, in qua duob. temporib. Contractus sc. & Traditionis Bona fides requiritur l. 48. in fin. ff. h. t. l. 2. §. 1. ff. pro empt. l. 7. §. ult ff. publ. in rem. 2. in Successore Speciali. De quo supra. th. 31.) Jure verò Canonico omni tempore e. fin. Ext. d. præscript. c. 2. R. J. 6. desideratur. Et semper præsumitur, donec contrarium probetur. l. 21. ff. probat. l. pen. C. Evid. c. fin. d. præsumpt. Hic quæres an dubitans tanquam bona fidei possessor usucapiat? Negamus, quia inter bonam & malam fidē tertium non invenimus. Dubitantē autem in bonâ fide non esse, patet ex definitione & l. 10. C. acq. poss. E. in mala fide erit, & sic non usucapiet. Vid. Fach. l. 1. §. 65*

part.
Longioris

56. *Fuit Usucapio Temporis Brevioris; sequitur Longioris quæ vel Longi, vel Longissimi.*

57. *Usucapio*

57. *Usucapio Longi Temporis est, qua dominium rerum cum immobilium presentes quidem decursu decennij, absentes Longi, vicennij ex justâ possessione adipiscuntur. pr. h. t. l. un. C. Usuc. transf. l. pen ff. prator stipul.*

58. *Convenit quidem hæc Usucapionis Species cum præcedente in hoc, quod utraq; bonam fidem & justû titulum, item rem non vitiosam & temporis continuatione desideret: Differt tamen ab eadem partim ratione Subjecti tum Operationis, pro quo illa Res Mobiles, hæc Immobiles agnoscit; eum Inhabitationis, in quo illa inter presentes & absentes discrimen nullum, hæc vel maximum facit: partim ratione Temporis quod in illa triennium, in hac decennium vel vicennium constituitur.*

59. *Sanè Res immobiles instar Objecti huic Speciei assignamus non tamen eo ipso Res incorporales excludimus, quippe quæ in his numerantur, Wesenb. x. ff. ad h. t. n. 10. cum quasi tradi etiam, & ita quasi possideri dicantur. l. ii. ff. publ. in rem. Et ex hoc fundamento omnes servitutes (distinctione illa inter Continuas & Discontinuas prorsus rejectâ. Fach. l. 8. c. 22.) l. fin. C. præser. long. l. 2. C. serv. & aq. Omnes item Actiones Reales & Criminales l. 7. C. quib. non obj. long. l. 12. C. ad l. jul. d. adult. hæc Usucapionis specie præscribuntur: Præter illas, quibus specialiter certum tempus, & quidem minoris spatij præstitutum est; ut puta actioni injuriarum, quæ anno, l. 5. C. jniur. doli, quæ bienn. o, l. fin. C. dol. adulterij, quæ quinquennio l. 5. C. ad L. jul. d. adul. expirat. v. Wesenb. x. ff. ad h. t. n. 8.*

60. *Demum, quorsum sit desumenda ratio presentia vel absentia, explicat nobis l. fin. C. præsc. long. Ex utriusq; nimirum personæ, tam petentis, quam possidentis domicilio in eadem vel diversa provinciâ sito. Hoc saltem notabimus: quod quibusdam annis absenti, quibusdam præsentis tot anni supra decennium sint adijciendi, quot annis ex decennio absens fuerit. Ansb. quod in C. præse. long.*

61. *Ultimo Usucapio Temporis Longissimi est, qua omnium rerum dominium 30 vel 40. annorum curricula absq;*

justa possessione consequimur. l. 3. & 4. C. praeser. 30. vel 40. ann.
Nov. 19. c. 7.

62. Discrimen ergo agnoscimus inter hanc & superiores species tam ratione *Materiae*, quam *Formae*. Ecce enim Omnes omnino *Res*, sive *Corporales*, sive *Incorporales*; d. l. C. & t. t. C. praeser. 30. vel 40. sive *Allodiales*, sive *Feudales* 2. F. 6. c. 4. 2. F. 9. c. 1. Imo *Temporales etiam locis & causis religiosis relictae Auth. quas actiones* C. S. S. Eccles. Nov. 131. c. 6. Nov. III. (Paucis saltem exceptis, quas vide sis *th. 63.*) ad illam referuntur; Nec *idem Tempus, eademq. possessio*, justa sc. in illa observatur, quemadmodum quidem in prioribus. Exulat enim hic justa possessio ut patet ex citatis legibus. Sed intellige id ipsum de Jure Civili; Jus namq; Canonicum in omnibus Usucapionib. justam possessionem praesertim quoad bonam fidem *c. fin. Ext. praescript.* non titulum cujus in immemoriali praescriptione nulla habetur ratio *c. 1. praescript. 6.* exigit. Consentit cum illo Jus nostrum Prutenicum Landtr. l. 3. t. 4. art. 1. §. 4.

2. *Incerti.*

63. Tandem, ut finis dissertationi huic imponatur; *Usucapionem Temporis Incerti seu Indefiniti* dicimus esse *eam, qua res prioribus Speciebus impraescriptibiles immemoriali tempore usucapiuntur.*


64. Dixi *th. 61.* quasdam res ab illa specie excipi; illae jam sunt *quae vim quandam privilegij obtinent*, cujus generis sunt *Bona pupillarum, Ecclesiae Rom. & Reservata principi in signu praeminentis dignitatis*, Et haec adeo vera sunt, ut etiam illa immemorialis praescriptio neq; contraria lege generalib. etsi verbis concepta, excludi queat. *Nov. 55. c. 1* quoniam vim privilegij obtinent *l. fin. ff. aq. & aq. pluv. arc. l. 3 §. 4. ff. aq. quot.* privilegia autem privilegij tolluntur. *arg. l. 35. ff. R. I.* Verum quodnam illud *immemoriale tempus* sit, inter Dd. non convenit: Nos quidem, si Veritas Theorica attendenda foret, tempus 100. annorum esse putaremus *l. ult. C. S. S. Eccles. ex ratione l. 27. C. Testam.* In Praxi tamen aliud observari testatur *Mysing. cen. 1. obs. 30.* De hisce praeter alios videri potest *Reink. l. 1. C. §. 6. 2. Schneidew. ad h. t. n. 31. & seqq.*

65. Core-

65. Coronidis loco multum inter Dd. agitatam illam controverſiam adjicimus: *Utrum nimirum in Materiâ Uſucapionum potius obſervandum ſit jus Canonicum; an verò jus Civile?* Et adeò lubricam fanè hic ingredimur viam, ut ubi pedem figamus videre vix poſſimus. Ecce enim, qui Jus Canonicum defendunt, mirum in modũ hoc loco Curam Conſcientiarum jaſtitant; Econtrario qui jus propugnant Civile, imperialem urgent ſplendorem. Contra utrumq; itaq; aliquid ſtatuerè, piaculum foret. Quicquid tamen ſit, ad illorum accedimus partes, qui jus Canonicum Civili præferendum cenſent; dicti hujus rationes poſtulantibus in ipſo conſlictu ſubminiſtraturi. Interim autem non diſſitemur, Magiſtratus Politicos in ſuis juridiſtionibus promulgare poſſe leges, quibus definiant quousq; illa jura, & in quantum obſervari velint: Et hoc ipſum ad dirimendam iſtam controverſiam remedium eſſe tutiſſimum.

Tantum.

S. D. G.



Ad Præſtantiſſimum Dn.

Reſpondentem.

Naturale bonum eſt nullum fieri locupletem
Cum damno alterius; Verum Civile ſuprema
Eſto alius Populi Lex & ſic publica cauſa.

Quare Uſucapio non eſt removenda, Salutem
Concernens Populi, litis ſit terminus atq;
Finis, & ut certi Domini ſint undiq; rerum.


Ergò præſentem rectè Doctiſſime THETSCHI
Tractas materiã, gravis hæc atq; ardua certè,
Hinc

Hinc non exiguum facies tibi nomen, honorem
Hinc conservabis, quod publica fama docebit.
Gratulor, ut felix labor hic sit publicus, altum
Ut possis subito Parnassum scandere montem,
Unde venit doctis laus, gloria, summa voluptas.
Levinus Battus J. U. D.

ORDINE dulcifono tractas dum dogmata Juris,
Juresophi meritò dignus honore clues.

Ita Dn. TETSCHIO, amicissimo suo L. Mg.
applauderat

M. David Klug.


In Honorem Præstantiss. & Literatiss.

DN. RESPONDENTIS

Amici, Fratris instar, haud ex multis

STrenuus en Cultor THEMIDIS nunc prodere Vires
Scandit ad excelsi Pulpita docta chori.

Prosit, Amice, Tuum felici Numine captum:
Incluta Te tandem ducat ad astra THEMIS.


Sic solet antlato VIRTUS pensare labores:
DOCTOS, perge, LABOR reddit in Orbe VIROS.

Verè & sincerè
appos.

GEORGIUS FABIANUS
à Reichenbach. Equ. Sil.







the scale towards document

*Longi Temporis est, qua dominium rerum cum
esentes quidem decursu decennij, absentes Longi,
possessione adipiscuntur, pr. h.t. l. un. C. Usue-
tor stipul.*

quidem hæc Usucapionis species cum præce-
d utraq; bonam fidem & justū titulum, item rem
poris continuationē desideret: *Differt* tamen
atione *Subiecti* tum *Operationis*, pro quo illa
Immobiles agnoscit; eum *Inbasiōis*, in quo
& absentes discrimen nullum, hæc vel maxi-
n ratione *Temporis* quod in illa triennium, in
el vicennium constituitur.

mobiles instar *Objecti* huic Speciei assignamus
o *Res incorporales* excludimus, quippe quæ in
Resenb. x. ff. ad h. n. 10. cum quasi tradi etiam,
eri dicantur. *l. ii. ff. publ. in rem.* Et ex hoc fun-
ervitutes (distinctione illa inter *Continuas* &
rfus rejectâ. *Fach. l. 8. c. 22.*) *l. fin. C. præser. long.*
Omnes item Actiones Reales & Criminales *l. 7.*
ig. l. 12. C. ad l. jul. d. adult. hac Usucapionis spe-

Præter illas, quibus specialiter certum tempus,
s spatij præstitutum est; ut puta actioni injuria-
s. C. jniur. doli, quæ bienn. o, *l. fin. C. dol. adul-*
nnio *l. 5 C. ad L. jul. d. adul.* expirat. *v. Wa-*
n. 8.

, quorsum sit desumenda ratio *presentia* vel
nobis *l. fin. C. præse. long.* Ex utriusq; nimirum
ntis, quam possidentis domicilio in eadem vel di-
o. Hoc saltem notabimus: quod quibusdam an-
sdam præsentis tot anni supra decennium sint ad-
is ex decennio absens fuerit. *Autb. quod in C. præ-*

*usucapio Temporis Longissimi est, qua omni-
nium 30 vel 40. annorum curriculis absq;
est 3* *tura Longissi-
mi.*